MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80404-7

AUTHOR:

KRAUSE, ERNESTUS F.

TITLE:

DE APOLLODORIS COMICIS

PLACE:

[S. L.]

DATE:

1903

Master Negative #

91-80404-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Krause, Ernst Friedrich, 1880-
De Apollodoris comicis. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet auctor Ernestus F. Krause ... Berolini, Ebering, 1903.
35 p. 22 cm.


Thesis. Berlin.


Vol. of theses.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12/27/91 INITIALS RD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT











Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De Apollodoris comicis.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS
DIE 23 M. III A. 1903
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
Ernestus F. Krause
Bidgostiensis.

ADVERSARII ERUNT
ALBERTUS FRIES DR. PHIL.
PAULUS RIBBECK DR. PHIL.
CAROLUS FRIES DR. PHIL.

BEROLINI A. 1903
TYPIS IMPRESSIT E. EBERING.

Hoc libello continetur prius tantummodo cap dissertationis quam probavit ordo philosophorum un versitatis litterarum Fridericae Guilelmae Berolinensis tota dissertatio propediem prodibit.

Caput I.

Duos fuisse Apollodoros comicos demonstratur.

Tres commemorant Apollodoros comicos veteres scriptores, Geloum, Carystium, Atheniensem. Geloi pauca tantummodo fragmenta supersunt, ex quibus non satis eius indoles cognosci potest, Carystii multo plura; praeterea traditum est Terentium ex Ἑκυρᾷ et Ἐπιδικαζομένῳ Apollodori Carystii fabulis Latine reddidisse Hecyram et Phormionem, quibus ex fabulis intellegimus Carystii indolem fuisse totam Menandream. Atheniensem unus Suidas laudat, cum numeros fabularum et victoriarum memoriae prodit. Quibus testimoniis confisi tres re vera fuisse Apollodoros comicos crediderunt priores Graecarum litterarum scriptores, ut exemplis utar, Scipio Tettius in Tractatu de Apollodoris,[1] Vossius, De poetis Graecis et Latinis, Amstelod. 1654, I pp. 58/9, Meursius, Biblioth. Attic. in Gronovii Thesauro Graecarum antiquitatum vol. X p. 1428, Crassus, Istoria de Poeti Greci pp. 50/1, Mongitorius, Biblioth. Sic. I p. 75, Fabricius, Biblioth. Graec. ed. IV vol. II pp. 419–422. Sed quia Atheniensis memoria servata est tantummodo vita Suidae, apud quem contra nullam habemus Carystii vitam, coniecit Meineke, Hist. crit. com. Graec. p. 462 hanc Atheniensis vitam esse Carystii, non tres sed duos fuisse Apollodoros comicos, Geloum et Carystium. Quam Meinekii sententiam secuti sunt viri docti fere omnes. Sed Apollodori comici ita non accurate discernebantur alter ab altero,

[1]) Quem librum ego non vidi.

ita eorum aetates non definitae, ita fragmenta non satis distributa erant, ut fieri posset, ut unus vir doctus et quem antesignanum atque principem in his studiis fuisse inter omnes constat, Kaibelium dico, ut hic vir doctus crederet unum tantummodo fuisse Apollodorum comicum, quam sententiam protulit in Paulii et Wissowae lexico I, pp. 2852/3. Commovetur autem, ut sic iudicet, rationibus his: Primum dicit vitas Suidae, quibus de Apollodoris comicis agitur, pertinere ad unum tantummodo Apollodorum, deinde fabulas nonnullas modo Geloo modo Carystio tribui a veteribus scriptoribus, tum saepius Apollodorum tantummodo patria non addita laudari, denique eodem esse stilo neglegenti atque minus polito fragmenta Geloi et Carystii. Tractemus nunc singula Kaibelii argumenta.[1])

Primo loco agit, ut dixi, de Suidae quae sunt de Apollodoris comicis vitis, quas censet referendas esse ad unum Apollodorum[2]) ea de causa, quia altera suppleat alteram; deesse enim priori ea quae habeat posterior, aetatem et indicem fabularum, contra posteriori ea quae habeat prior, numeros fabularum et victoriarum. Priusquam rem ipsam tracto, cum inquiro, utrum hae duae vitae ad unum tantummodo Apollodorum pertineant necne, errorem Kaibelii corrigere volo. Dicit enim inter Suidae de Apollodoro Atheniensi et de Apollodoro Geloo comicis vitas mediam esse interpositam vitam qua agatur de Apollodoro grammatico.[3]) Quod minime verum est.

[1]) Ante me Kaibelii sententiam refutare studuit Capps, Chronological studies in the Greek tragic and comic poets, American Journal of Philology XXI 45 sqq.

[2]) Ante Kaibelium similiter iudicaverat Bernhardy in adnotatione ad Suidae de Apollodoris vitas. Rettulit enim verba prioris vitae quae sunt *κωμικός, ἐποίησε δράματα μζ΄, ἐνίκησεν ε΄* ad Apollodorum Geloum, verbum quod est *᾿Αθηναῖος* ad Apollodorum illum grammaticum. Sed adversatus est Westermann, Biogr. p. 180.

[3]) Kaibelium sequitur Capps l. l.

Immo hic est vitarum quae sunt de Apollodoris ordo qui codicibus Suidae firmatur:

᾿Απολλόδωρος ᾿Αθηναῖος, κωμικός . . .,
᾿Απολλόδωρος Γελῷος, κωμικός . . .,
᾿Απολλόδωρος Ταρσεύς, τραγικός . . .,
᾿Απολλόδωρος ᾿Ασκληπιάδου, γραμματικός . . .,

quem ordinem verum esse etiam inde apparet, quod in Suidae vitis quae sunt de cognominibus scriptoribus semper invenimus grammaticos positos post poetas.[1]) Quod facile explicatur ea re, quod Suidae fons, epitomator Hesychii, Hesychii Onomatologum, qui secundum rerum ordinem erat compositus, in ordinem litterarum redegit, scriptores autem cognomines eo posuit ordine, qui erat singulorum libri Hesychiani capitum.[2]) In errorem inductus esse videtur Kaibel editione Suidae Bekkeriana, in qua quia etiam cognomines scriptores secundum ordinem litterarum enumerantur, continuantur Apollodororum vitae sic:

᾿Απολλόδωρος ᾿Α θ η ν α ῖ ο ς, κωμικός . . .,
᾿Απολλόδωρος ᾿Α σ κ λ η π ι ά δ ο υ, γραμματικός . . .,
᾿Απολλόδωρος Γ ε λ ῷ ο ς, κωμικός . . .,
᾿Απολλόδωρος Τ α ρ σ ε ύ ς, τραγικός . . .,

vel, cum audiam hanc Suidae editionem in Kaibelii bibliotheca omnino non fuisse, Flachii Hesychio Milesio, in quo p. 19 eodem ordine vitae quae sunt de Apollodoris continuantur atque in Suida Bekkeriano.

[1]) Velut s. vv. *᾿Αριστοφάνης, ῞Ερμιππος, ῞Ομηρος, Τιμόθεος, Φιλόξενος.*

[2]) Agebat Hesychius primum d e p o e t i s, deinde de philosophis, tum de rhetoribus et sophistis, tum d e g r a m m a t i c i s, tum de medicis, denique de ceteris scriptoribus; cfr. Wentzel, Die griechische Übersetzung der Viri inlustres des Hieronymus, Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Litteratur XIII 3, 58 sqq., et idem, Herm. XXXIII 275.

Hac pusilla re praemissa ut quaestio ipsa diiudicetur, opus est perlustrare ceteras Suidae vitas. Quod qui fecerit concedet Kaibelio apud Suidam saepissime duas vitas vel plures referendas esse ad unum tantummodo hominem. Quae res sic est explicanda, ut dicamus aut Suidam aut Hesychium invenisse in duobus vel pluribus fontibus duas vel plures vitas, quae agerent de eodem homine, sed agerent non eodem modo et memorarent non plane eadem aut aliqua ex parte contraria de hoc homine, ita ut Suidas aut Hesychius commoveretur, ut de duobus vel pluribus agi crederet hominibus, non de uno. Exempla in promptu sunt haec:

Hesychius erravit in Harpocratione et fortasse in Paulo sophista. Harpocrationis exstant duae apud Suidam vitae, quae redeunt ad Hesychium:

Ἁρποκρατίων, ὁ Γάιος χρηματίσας, σοφιστής. ἔγραψε περὶ τῶν Ἀντιφῶντος σχημάτων, περὶ τῶν Ὑπερείδου καὶ Λυσίου λόγων, καὶ ἕτερα.

Ἁρποκρατίων, ὁ Αἴλιος χρηματίσας, σοφιστής. ἔγραψε περὶ τῶν δοκούντων τοῖς ῥήτορσιν ἠγνοῆσθαι, καὶ ὑποθέσεις τῶν λόγων Ὑπερείδου, περὶ τοῦ κατεψεῦσθαι τὴν Ἡροδότου ἱστορίαν, περὶ τῶν παρὰ Ξενοφῶντι τάξεων, περὶ τέχνης ῥητορικῆς, περὶ ἰδεῶν,

quas duas vitas ad unum atque eundem rettulit C. Aelium Harpocrationem Kiefsling, Quaest. Attic. spec. p. 26[1]) commotus praecipue ea re, quod commemoratur in priore vita liber *περὶ τῶν Ὑπερείδου λόγων*, in posteriore liber qui inscribitur *Ὑποθέσεις τῶν λόγων Ὑπερείδου*. Invenit Hesychius has duas vitas in fontibus et credidit alium esse Caium, alium Aelium Harpocrationem.

Ad unum fortasse Paulum pertinent duae vitae hae:

[1]) Cfr. etiam idem Kiefsling, Lycurgi frg. p. 20 et Daub, Studien zu den Biographica des Suidas p. 39.

Παῦλος Γερμηνός, σοφιστής, ὁ γράψας ὅτι γε Λυσίου ἐστὶ ὁ περὶ τῆς Ἰφικράτους δωρεᾶς, βιβλίοι β', ὑπομνήματα εἰς τοὺς λοιποὺς λόγους Λυσίου.

Παῦλος Αἰγύπτιος, ἐκ τῆς Λύκων, σοφιστής, υἱὸς Βησαρίωνος, τοῦ καὶ Διδύμου, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου,

quas vitas, quia supplent altera alteram, nihil impedit, quominus ad unum Paulum referamus.[1])

Multo saepius quam Hesychius huiusmodi errores Suidas commisit. Diogenis cynici habemus apud Suidam vitas tres, *Διογένης, ἢ Οἰνόμαος, Ἀθηναῖος, τραγικὸς κτλ.*,[2]) quam vitam sumpsit ex Hesychio, *Διογένης, Ἱκεσίου υἱὸς τραπεζίτου κτλ.*, *Διογένης, Ἀντισθένους ὁμιλητὴς κτλ.*, et glossas duas, *Διογένης· ὄνομα φιλοσόφου κτλ.* et *Διογένης· ὅτι Διογένης εἶχεν ἐρῶντα παῖδα κτλ.* Meletorum vitarum et glossarum trium prima ex Schol. Arist. Ran. 1302 sumpta et secunda[3]) ex Hesychio sumpta ad unum referendae sunt Meletum rhetorem et tragicum poetam, Socratis accusatorem. In priore vita *τραγῳδίας ποιητὴς* appellatur, de rhetore siletur, in posteriore *ῥήτωρ* appellatur, tragoedias eum scripsisse obiter tantummodo commemoratur: en causa erroris. Melanthii et Morsimi inveniuntur tres apud Suidam glossae, prima s. v. *Μελάνθιος καὶ Μόρσιμος* sumpta ex Schol. Ar. Pac 809—815, secunda s. v. *Μόρσιμον καὶ Μελάνθιον*, quae continet versus Arist. Pac. 809 - 818, tertia s. v. *Μόρσιμος καὶ Μελάνθιος* sumpta ex Schol. Ar. Pac. 803. Subiungitur de solo Morsimo vita quarta sumpta ex Schol. Ar. Ran. 151, qua nihil novi affertur ad priores nisi exili figura fuisse

[1]) Cfr. Daub l. l. p. 72.

[2]) Vita enim haec ad cynicum pertinet; cfr. Rohde, *Γέγονε* in den Biographica des Suidas, Nachtrag, R. M. XXXIV 620 sqq.

[3]) Usque ad verba *ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων*, nam quae deinceps sequntur ad Melissum pertinere vidit duce Hemsterhusio Clinton, Fast. Hell. ad annum 440: cfr. Bernhardy ad h. l.

Morsimum et operam dedisse oculis medendis. Hesychii de Spintharo vitae addidit Suidas alteram ex Schol. Ar. Av. 763 sumptam, quia credidit alium esse Spintharum tragicum, alium eum quem perstringit Aristophanes.[1]) Philisci grammatici Aeginensis unam habemus apud Suidam vitam, quam sumpsit ex Hesychio (*Φιλίσκος, Αἰγινήτης· ὁ διδάξας γράμματα Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα κτλ.*), et unam glossam,[2]) quam sumpsit ex Laert. Diog. VI 2, 75, 76, 78 (*Φιλίσκος, Αἰγινήτης· ὃς κατὰ θέαν ἐλθὼν τῶν Ἀθηναίων κτλ.*).[3])

[1]) Cfr. Welcker, Griech. Trag. p. 1034.

[2]) Fortasse hanc glossam non Suidas sed interpolator ex Laertio Diogene huc transtulit. Codex enim Suidae optimus Parisinus A ea caret. Tum eiusdem modi errorem statuendum esset commisisse interpolatorem.

[3]) Non satis habuerunt Hesychius et Suidas sic duas de eodem homine vitas ponere alteram iuxta alteram, sed saepe etiam id quod crediderunt, scil. de duobus agi hominibus, non de uno, aperte dixerunt, cum addiderunt vitis quas invenerant in fontibus verba *καὶ αὐτός, ἕτερος καὶ αὐτός, ὁ πρεσβύτης — ὁ νεώτερος*, similia, quamquam multo saepius Hesychius hoc modo peccavit. Vitarum quibus Hesychius sic verba nonnulla addidit exempla haec sunt in promptu: Duarum de Nicolao rhetore vitarum alteri addidit verba *καὶ αὐτός* (cfr. Daub l. l. p. 68), alteri Cratetis comici vitae eadem verba, alteri de Timocle comico vitae *ἕτερος καὶ αὐτός* (cfr. Meineke, Hist. crit. com. Graec. p. 428 sqq.). Panaetium notissimum est ab Hesychio discissum esse in priorem et posteriorem (cfr. Lynden, De Panaetio Rhodio p. 5 sqq.). Diogeniani duas invenit in fontibus vitas, quarum altera Heracleam Ponticam, altera Heracleam tantummodo appellabat Diogeniani patriam, unde conclusit Hesychius de duabus verba fieri Heracleis (*Ἡρακλείας ἑτέρας, οὐ τῆς Πόντου .... οὐ γὰρ εὗρον ῥητῶς τὸ ἐξ Ἡρακλείας αὐτὸν εἶναι τῆς ἐν Πόντῳ*), de duobus etiam Diogenianis, cum nos iudicemus unum tantummodo fuisse Diogenianum et illam Heracleam quam invenit Hesychius in fonte altero significasse ipsam quoque Heracleam Ponticam (cfr. Daub l. l. p. 97). Suidae huiusmodi quantum video unus tantummodo error tribuendus est. Nam Suidam, non Hesychium Menandrum in *κωμικὸν ἀρχαῖον* et *κωμικὸν τῆς νέας κωμῳδίας* distraxisse veri simile est. Addidit autem Suidas alteri vitae, quam sumpsit ex Hesychio, verba *καὶ ἕτερος*.

Hae vitae supplent altera alteram. Sed saepe etiam invenit Suidas aut Hesychius in fontibus duas vitas, quae agerent de uno homine, sed discreparent aliqua ex parte altera ab altera, id quod etiam magis eos commovit, ut de duobus agi crederent. Praecipue autem discrepabant patres et patriae. Sic Nicomachus tragicus in priore vita appellatur Alexandrinus Troicus, in altera Atheniensis, haud aliam credo ob causam, nisi quia Athenis vixit fabulasque docuit, fortasse Attica civitate donatus est; sed Hesychius credidit de duobus agi Nicomachis. Phrynichi tragici patrem fuisse in altera vita invenit Hesychius Polyphradmonem aut Minyram aut Choroclem, in altera Melantham,[1]) unde conclusit duos fuisse Phrynichos tragicos, quamquam intellegere debuit ex priore vita de Phrynichi patre nihil constare, qua de causa veri simile esse filium Melanthae eundem esse atque alterum Phrynichum.

His in vitis nonnulla sunt contraria, cetera alterum alterum supplent, et eodem modo sine dubio censet Kaibel, ut redeam unde profectus sum, rem sese habere in vitis Apollodororum comicorum. Diversas esse patrias, ceteris in rebus suppleri vitam alteram altera. Et credat quis me illis quae attuli exemplis firmasse Kaibelii sententiam, referendas esse has duas vitas ipsas quoque ad unum tantummodo hominem, Hesychium, ad quem hae vitae redeunt, rursus peccasse. Sed alia est exemplorum quae attuli, alia harum de quibus agimus duarum vitarum ratio. Ceteris enim in vitis apud unum Suidam duorum vel plurium servata est memoria, cum tota antiquitas unum tantummodo commemoret, id quod praecipue ansam nobis dat vitarum ad unum referendarum hominem, his contra in vitis totam habet antiquitatem Suidas assentientem. Non diversi solum scriptores diversos duos

[1]) Verba quae sunt *ὅτι Φρύνιχον Ἀθηναῖοι — τραγῳδήσαντα* ab Hesychio aliena sunt.

commemorant Apollodoros comicos, Geloum et Carystium, sed etiam unus et idem scriptor laudat utrumque. Sic duos laudant Athenaeus, Geloum III 125 a et XI 472 c, Carystium I 34 d, III 76 a, VI 243 d, VII 280 d, et Pollux, Geloum IV 19 et X 93, Carystium X 154 et X 161, et qua re quaestio mea quidem sententia solvitur, uno loco, X 138, idem Pollux uno quasi spiritu laudat utrumque: *καὶ στρωματεῖς δὲ Ἀπολλόδωρός τε ὁ Γελῷος ἐν Ψευδαίαντι ἔφη· μάχαιρα, λόγχη, στρωματεύς, ὁ δὲ Καρύστιος Ἀπολλόδωρος ἐν Ἀντευεργετοῦντι· τοὺς στρωματεῖς ἔλυον*, quem locum Kaibel omnino non vidisse videtur, nam si vidisset, non dubitasset, quin re vera duo fuerint Apollodori comici. Quia enim ex hoc loco apparet Pollucem credidisse duos fuisse, etiam hominum ante Pollucem doctorum eandem sententiam fuisse veri simile est, quod quae Pollux conscripsit maximam partem redeunt ad Tryphonem, Pamphilum, Suetonium. Neque autem credat quis ante hos Pollucis auctores errorem esse ortum, unum Apollodorum comicum in duos distractum esse, quia doctiora fuerunt illa tempora, quam ut talia accidere possent. Praeterea omnia haec testimonia quae consentiunt cum Suida non pendent ex eo, id quod Kaibel credit. Dicit enim Suidam esse fontem Apollodori comici in duos distracti, quamquam id videtur voluisse dicere Suidae vitas redire ad fontem vetustissimum, in quo hic iam esset error, quo fonte etiam decepti essent ceteri scriptores qui duos commemorant Apollodoros comicos. Sed fieri omnino non potest, ut ex eodem fonte hausisse Suidam et ceteros statuamus, quia Suidas discernit Apollodoros comicos Atheniensem et Geloum, ceteri omnes Carystium et Geloum. Ex duobus igitur fontibus, quorum in altero Atheniensis et Gelous, in altero Carystius et Gelous discernebantur, Suidas et ceteri hauserunt, restat tantummodo, ut explicemus, quomodo diversitas horum fontium orta sit. Atheniensem esse Carystium docuit Meineke, Hist. crit.

com. Graec. p. 462 commotus ea re, quod est apud Suidam Geloi vita, Carystii nulla, cuius loco habemus Atheniensis vitam. Et facile explicari potest, cur Apollodorus Carystius Atheniensis appellatus sit: Athenis vixit fabulasque docuit, fortasse Attica civitate donatus est. Athenis eum fabulas docuisse apparet ex Athen. XIV 664 a, de quo loco infra accuratius agam. Eodem modo Diphilus, quem Sinopensem fuisse constat testimonio Strabonis XII p. 546, appellatur Atheniensis a grammatico Hermanni p. 324. Eodem modo praeterea appellantur Nicomachus tragicus apud Suidam in priore vita Alexandrinus Troicus, in posteriore Atheniensis, et Diogenes cynicus in tertia vita Sinopensis, in secunda Atheniensis.

His rationibus omnibus satis credo demonstrari Suidae vitas ad duos pertinere Apollodoros comicos, Carystium et Geloum, et quod altera vita supplet alteram, id casu factum esse. Plane eiusdem modi casum habemus in Astydamantum, patris et filii, vitis:

> *Ἀστυδάμας ὁ πρεσβύτης, υἱὸς Μορσίμου τοῦ Φιλοκλέους, τραγικῶν ἀμφοτέρων, Ἀθηναῖος τραγικός. ἔγραψεν τραγῳδίας σμ´, ἐνίκησε ιε´, ἀκροασάμενος δὲ ἦν Ἰσοκράτους καὶ ἐτράπη ἐπὶ τραγῳδίαν.*
>
> *Ἀστυδάμας ὁ νέος, υἱὸς τοῦ προτέρου, τραγικὸς καὶ αὐτός. δράματα αὐτοῦ Ἡρακλῆς σατυρικός, Ἐπίγονοι, Αἴας μαινόμενος, Βελλεροφόντης, Τυρώ, Ἀλκμήνη, Φοῖνιξ, Παλαμήδης.*

Supplent vitae altera alteram. Habemus ut in Apollodororum vitis in priore numeros fabularum et victoriarum, in posteriore indicem fabularum, et nisi verbis *ὁ πρεσβύτης* et *ὁ νέος, υἱὸς τοῦ προτέρου* impediremur, unum tantummodo fuisse Astydamantem crederemus. Concedendum est Hesychium haec verba de suo addere potuisse,[1]) sed duos fuisse Astydamantes firmatur etiam

[1]) Cfr. quae exposui adn. 3 p. 10.

Schol. Arist. Av. 281, cuius scholii finis sic scribendus est cum Boeckhio ad Marm. Par. ep. 67 (CIG II p. 321): *γεγόνασι δὲ Φιλοκλεῖς δύο τραγῳδιῶν ποιηταί, εἷς μὲν ὁ ⟨Φιλοπείθους υἱός, ἕτερος δὲ ὁ⟩ Φιλοκλέους ἀπόγονος. ἐκείνου μὲν γὰρ υἱὸς Μόρσιμος· ἐκ τούτου δὲ Ἀστυδάμας· ἐκ τούτου δὲ Φιλοκλῆς καὶ ἕτερος ⟨Ἀστυδάμας⟩ ὁ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν περιπεπτωκὼς τῷ νεωτέρῳ Φιλοκλεῖ*, vel cum Wilamowitzio sic: *εἷς μὲν ὁ ⟨Φιλοπείθους, ὁ δὲ Ἀστυδάμαντος υἱὸς, τοῦ δὲ προτέρου⟩ Φιλοκλέους ἀπόγονος . . . . καὶ ἕτερος ⟨Ἀστυδάμας⟩* . . . .[1])

Refutato hoc argumento gravissimo agendum est nobis de argumentis minus gravibus, quae addidit Kaibel, ut primum firmaret. Demonstrabo ea quoque esse vana. Videamus igitur de secundo argumento.

Kaibel ea re nobis persuadere studet unum tantummodo fuisse Apollodorum comicum, quod fabulae nonnullae — quattuor sunt — modo Geloo modo Carystio tribuuntur a scriptoribus veteribus, quod argumentum, quamquam dubitanter, protulit iam in indice ad Athenaeum composito vol. Athen. III p. 582, quo loco adnotat: *Si quidem sunt duo* (sc. Apollodori comici), *quorum uterque scripsit Ἀπολιποῦσαν et Γραμματειδιοποιόν.* Censuit igitur Kaibel statuendum esse aut utrumque Apollodorum scripsisse *Ἀπολιποῦσαν* et *Γραμματειδιοποιὸν* fabulas aut unum tantummodo fuisse. Idem sentit Paulii et Wissowae lexici l. l. Quattuor fabulas tribui et Geloo et Carystio, quia autem non sit veri simile utrumque scripsisse *Γραμματειδιοποιόν, Ἱέρειαν, Ἀποκαρτεροῦντα ἢ Φιλαδέλφους, Ἀπολείπουσαν*, statuendum esse unum tantummodo fuisse Apollodorum comicum. De tertia explicandi ratione omnino non cogitat. Sed estne necesse, quaero, si grammatici opus modo laudant sub alterius nomine modo sub alterius duorum scriptorum cognominium, estne necesse statuamus aut utrumque hoc opus scripsisse aut unum tantummodo fuisse? Nonne rectius statuemus grammaticos opus quod ab alterutro tantummodo esset conscriptum nonnumquam falso ad alterum rettulisse? Saepius, id quivis mihi concedet, sic grammatici errant in tribuendis operibus duorum scriptorum cognominium quam unus scriptor discinditur in duos. Nostrum est diiudicare, utrius sint haec opera, quis grammaticorum erraverit, id quod ego infra in Apollodororum comicorum fabulis suscipiam.

[1]) Ceterum tertius Astydamas tragicus commemoratur CIA II 551 v. 38.

Tertio loco ea re nititur Kaibel, quod locis nonnullis Apollodorus tantummodo patria non addita laudatur. Et sunt praeter eos locos quos affert alii. *Ἀπολλόδωρος* vel *Ἀπολλόδωρος κωμικὸς* sine patria laudatur etiam ab Ammonio s. v. *σχισταί*, Athenaeo l. I 3 c, in Laterculo Coisliniano[1]) p. 5, ab Antiatticista s. vv. *καθίζω* et *ἐργοδοτῶν*, a Photio in lexico s. vv. *μέλασμα, ῥάξαι, συντύχημα*, in didascalia Ter. Hec. Pighiana, a Donato in auctario ad Suetonii vitam Terentianam et passim in commentariis ad Hecyram et Phormionem Terentianas conscriptis, sed omnibus locis mea quidem sententia nihil omnino effici potest, nam patria dubitari non potest quin saepissime omissa sit neglegentia eorum qui laudaverunt, quorum magna pars fontes adiit alios et quae videbantur omitti posse omisit. Sic Stobaeus, quem praecipue in eclogis poetarum alias compilasse constat anthologias,[2]) patrias fere omnium quos laudat, vel eorum apud quos additis opus est omittit, neque debuit Kaibel Stobaeo pro argumento uti neque debuit

[1]) Quem nuper edidit Kroehnert in dissertatione quae inscribitur Canonesne poetarum scriptorum artificum per antiquitatem fuerunt?, secundum cuius editionis paginas eum laudo.

[2]) Cfr. Diels, Eine Quelle des Stobaeus in M. R. XXX 171 sqq.

uti loco Etym. magni s. v. *ἐγκόμβωμα*, quo loco Carystii patriam neglegentia esse omissam scriptoris apparet ex Etymologico genuino (Miller, Mélanges de littérature grecque p. 97) et Suida s. v. *ἐγκομβώσασθαι* atque Phot. epist. 227 (Val.), qui omnes, quamquam ex eodem hauserunt fonte atque Etym. magn., Apollodorum Carystium nominant.[1]) Neglegentia patria omissa est etiam a Polluce l. VII 190: *Ἐκπωματοποιὺς δὲ δρᾶμα Ἀλέξιδος, καὶ Γραμματειδιοποιὸς Ἀπολλοδώρου*, nam duobus aliis locis, l. IV 19 et X 93, tribuit Grammatidiopoeum Apollodoro Geloo. Illo primo loco omisit sine dubio Geloi patriam quam invenit in fonte, secundo et tertio transtulit in librum suum.[2]) Eodem modo praeterea non

[1]) Coniecturam facio ad hunc Etym. magni locum. Legimus s. v. *ἐγκόμβωμα* haec: *Ὁ δεσμὸς τῶν χειρίδων. ὃ λέγεται παρ' Ἀθηναίοις ὄχθοιβος, ὑπὸ δὲ ἄλλων κοσύμβη. Εἴρηται παρὰ τὸν κόμβον· κόμβος γὰρ ὁ ὑψηλὸς τόπος· ἀφ' οὗ τὸ κομπάζειν τινὲς θέλουσιν εἰρῆσθαι. Ἀπολλόδωρος* (Ap. Car. frg. 7 ap. Kockium)·

. . . *τὴν ἐπωμίδα*
πτύξας διπλῶς ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην·

Ἐπίχαρμος (frg. 7 ap. Kaibelium)·

. . . *ἴστε μὰν ὅτι* (Kaibel in adn., codd. *εἴ γε μὲν ὅτι*)
⟨*ἐγ*⟩*κεκόμβωται καλῶς*

Ἀμύκῳ. Εἴρηται ἄνω (87, 11). *Ἐγκομβώσασθαι.* Verbum *ἐγκομβώσασθαι* transponendum est ante *Ἀπολλόδωρος*, ita ut efficiantur duae glossae: *ἐγκόμβωμα* (*Ὁ δεσμὸς — εἰρῆσθαι*) et *ἐγκομβώσασθαι* (*Ἀπολλόδωρος — εἴρηται ἄνω*). Ut sic iudicem, commoveor ea re, quod exempla quae afferuntur ex Apollodoro et Epicharmo non quadrant ad vocem *ἐγκόμβωμα*, sed ad *ἐγκομβώσασθαι* (in Epicharmi enim ecloga *ἐγκεκόμβωται* restituendum esse apparet et ex metro et ex Photii epist. 227), deinde quia non intellego illud *ἐγκομβώσασθαι* quid sibi velit in fine glossae. Coniectura confirmatur ea re, quod exstat et glossa *ἐγκόμβωμα* (in Etym. gen. et Etym. Gud. 159,8) et glossa *ἐγκομβώσασθαι* (in Etym. gen. et Suida), quae glossae eadem fere verba continent atque hae Etym. magni.

[2]) Nisi forte Pollucis epitomator patriam omisit, Pollux ipse scripsit. Pollucis ipsius opus non servatum esse docuit Bethe, Die Überlieferung des Onomastikon des Julius Pollux, Nachr. d. Gött. gel. Ges. phil.-hist. Kl. 1895 p. 322 sqq.

dubito quin res sese habeat Ammonii l. l. et in Photii glossis *μέλασμα, ῥάξαι, συντύχημα*, eodem modo denique etiam Antiatticistae ll. ll., apud quem, ut hoc addam, nullius omnino scriptoris invenimus patriam.

Praeter neglegentiam aliam ob causam patria saepissime omissa est. Fuit enim Apollodorus Carystius multo clarior poeta quam Apollodorus Gelous, id quod inde intellegimus, quod multo saepius commemoratur a scriptoribus veteribus.[1]) Qua de causa consentaneum est grammaticos saepissime patriam omisisse alteros, quia significare voluerunt notiorem et celebriorem Apollodorum Carystium, alteros, quia hunc unum tantummodo noverunt, eisque locis quibus Apollodorus tantummodo laudatur, nisi demonstrari potest neglegentia esse peccatum, Carystium intellegendum esse. Sic Athenaeus l 3 c Apollodori comici mentionem facit patria non addita mea quidem sententia, quia clariorem Carystium intellegi voluit,[2]) nam eum scivisse duos fuisse Apollodoros comicos apparet inde, quod aliis lòcis commemorat Geloum et Carystium.[3]) Sic clarior Carystius intellegendus est apud Anonymum *περὶ κωμῳδίας* 15, quo loco praestantissimi novae comoediae poetae enumerantur,[4]) et in Laterculo Coisliniano, quo enumerantur

[1]) Singularem quandam Carystio auctoritatem tributam esse concludi potest etiam ex Athen. XIV 664 a (cfr. Meinecke, Hist. crit. com. Graec. p. 462) et inde, quod Terentius duas eius fabulas Latine reddidit.

[2]) Nisi forte epitomator Athenaei peccavit; de Athenaei epitomatoribus cfr. Kaibel in praef. in Athen. vol. I.

[3]) Quos locos enumeravi p. 12.

[4]) Cfr. Meinecke, Hist. crit. com. Graec. p. 462; Carystium h. l. intellegendum esse apparet etiam inde, quod positum est Apollodori nomen post Posidippi. Enumerat enim Anonymus poetas comicos secundum temporum ordinem, quod facile tibi persuadebis, si eum cum catalogis CIA II 977 *d—i* conferes, qui compositi sunt secundum temporum ordinem quibus quisque poetarum primum vicit.

poetae et scriptores, qui ab Alexandrinis grammaticis in canonem recepti sunt,[1]) nam sine dubio Carystii apud posteros gloria inde est orta, quod in canonem receptus erat, cum Geloi memoria fere periret. Apud Romanos quidem Geloi memoria servata non est, neque dubium est, quin didascaliarum Terentianarum auctor, Gellius, Donatus nullo loco patriam ad Apollodori nomen addiderunt, quia unum tantummodo noverunt, Carystium.[2]) De loco denique qui restat CIA II 977 infra agam.

Minimam veri speciem habet argumentum quartum, quod sumpsit Kaibel ex stilo, quem apud utrumque aeque neglegentem atque minus politum esse dicit. Iam per se esse difficillimum ex stilo quidquam concludere nemo est quin sciat, audacia vero, si agitur de parvo fragmentorum numero. Nam Geloo tribuuntur versus pleni a scriptoribus veteribus septem, Carystio quinquaginta duo. Concedendum est voces inesse quasdam in Apollodororum fragmentis quae alicui vituperandae esse videantur et quarum plerasque iam vituperaverunt atticistae. Sic *στρωματεῖς*, qua voce usus est et Gelous et Carystius teste Polluce l. X 138, vituperatur a Phrynicho: *στρωματεῖς ἀδόκιμον, στρωματόδεσμος ἀρχαῖον καὶ δόκιμον.* Deinde Pollux imperitorum esse dicit *σακκοπήραν* l. X 161: *σακκοπήραν δὲ ὡς εἴθισται τοῖς ἰδιώταις λέγειν ἐν Ἀπολλοδώρου τοῦ Καρυστίου Ἀμφιαράῳ.* Tum quam Carystii vocem laudat Pollux X 154, *γλωττόκομον*, eam improbat Phrynichus: *Γλωσσόκομον· τὸν μὲν τύπον καὶ τὴν θέσιν ὑπ᾽ ἀρχαίων ἔχει, διεφθαρμένως δὲ λέγεται ὑπὸ πολλῶν· ἐχρῆν γὰρ γλωττοκομεῖον λέγειν ὥσπερ ἀμέλει καὶ οἱ ἀρχαῖοι.* Denique ex Pollucis l. X 152 verbis: *εἰ δὲ καὶ μαρσιπίῳ τις χρῆσθαι βούλοιτο, βοηθήσει αὐτῷ Ἀπολλόδωρος ὁ Καρύστιος εἰπὼν ἐν τῇ Ἐνεᾷ· μαρσίπιόν τι μικρὸν* videmus *μαρσίπιον* vocem Atticis non in usu fuisse. Haec vituperant atticistae. Sunt praeterea nonnulla alia quae aliquis notet, ut illud *ἐγκομβώσασθαι*, qua voce usus est Carystius Suida, Etym. gen. s. hac voce, Photio epist. 227 (Val.) testibus, fortasse etiam illud *λέπεσθαι* ea qua posuit vi Carystius apud Athen. VII p. 280 e, sed quivis videt haec omnia fere sumpta esse ex Carystii fragmentis, unum tantummodo vituperari verbum Geloi, sc. *στρωματεῖς*, qua ex vocula pendet totum Kaibelii argumentum. Sunt igitur fragmenta, praecipue ea quae Geloo tribuuntur, minora, quam ut ex eis quidquam concludi possit. Praeterea etiamsi nobis plura servata essent, ex stilo aeque neglegenti Apollodororum ego nego quidquam concludi posse, quia omnes fere horum de quibus agimus temporum poetae comici eundem, neglegentem atque minus politum, si tibi libet eum sic vocare, prae se ferunt stilum, omnes saepissime vituperantur ab atticistis, vel Menander.[1]) Hoc igitur Kaibelii argumentum ipsum quoque nullum est.

[1]) In Laterculo Coisliniano et Anonymo *περὶ κωμῳδίας* ll. ll. (et in Laterculo Bodleiano, quem ipsum quoque edidit Kroehnert l. l., X) etiam ad Philemonis nomen patria non addita est, quamquam tres fuerunt Philemones comici (cfr. quae infra exponam). Philemo ille Menandri aequalis quin intellegendus sit, nemo dubitabit.

[2]) Carystii patria apud scriptores Latinos uno tantummodo loco invenitur, in vita Terentii quam edidit Angelus Mai, M. Acci Plauti fragmenta inedita, item ad P. Terentium commentationes et picturae ineditae p. 38.

[1]) Menander praecipue vituperatur a Phrynicho. Insignissimos habemus locos s. vv. *σύσσημον* et *αἰχμαλωτισθῆναι*: *Σύσσημον· οὐχ ὁρῶ μὰ τὸν Ἡρακλέα, τί πάσχουσιν οἱ τὸν Μένανδρον μέγαν ἄγοντες καὶ αἴροντες ὑπὲρ τὸ Ἑλληνικὸν ἅπαν .... ὁρῶ μανικῶς περὶ τὸν κωμῳδοποιὸν τοῦτον σπουδάζοντα .... Βάλβον τὸν ἀπὸ Τράλλεων, ὃς εἰς τοῦτο προθυμίας καὶ θαύματος ἥκει Μενάνδρου, ὥστε καὶ Δημοσθένους ἀμείνω ἐγχειρεῖν ἀποφαίνειν τὸν λέγοντα μεσοπορεῖν καὶ γῦρος καὶ λήθαργος καὶ σύσσημον καὶ πορνοκόπος καὶ ὀψωνιασμὸς καὶ ὀψώνιον καὶ δύσριγος καὶ ἄλλα κίβδηλα ἀναρίθμητα ἀμαθῆ κτλ. — Αἰχμαλωτισθῆναι· τοῦθ᾽ οὕτως ἀδόκιμον, ὡς οὐδὲ Μένανδρον αὐτῷ χρήσασθαι κτλ.* Cfr. etiam Phrynichi glossae *ἀκρατεύεσθαι, γῦρος, ἐξαλλάξαι,*

Non solum ea quae Kaibel protulit, ut sententiam suam probaret, vana sunt, sed exstant etiam argumenta tria quibus perspicue demonstrari potest duos re vera fuisse Apollodoros comicos. Quorum argumentorum duo iam Kaibel ipse vidit atque infringere studuit, tertium videre non potuit. Priusquam argumentum tertium tracto, docebo ea quae Kaibel contra illa duo priora protulit stare non posse. Sunt autem posita haec argumenta ea in re, quod diversae patriae et diversae aetates Apollodororum nobis traditae sunt. Prius videamus de patriis.

Tres, ut iam dixi, commemorantur Apollodori comici a scriptoribus veteribus, Atheniensis, Gelous, Carystius, quorum Atheniensem eundem esse atque Carystium Meineke demonstravit. Kaibel etiam quae restant duae patriae Gelam et Carystum ad unum Apollodorum pertinere censet, ita ut ille quem fingit Apollodorus comicus trium habuerit urbium civitates, Gelae, Carysti, Athenarum. Quam sententiam confirmari fabula *Ἐνναίᾳ* — Enna haud longe abest a Gela — quae Carystio tribuatur a Polluce X 152, si Meineke lectionem quae tradita sit *ἐν τῇ Ἐννέα* sic recte correxerit. Et quamquam concedendum est viros permultos horum praecipue de quibus agimus temporum habuisse complurium urbium civitates,[1]) tamen ne credamus unum fuisse Apollodorum comicum qui trium haberet urbium civitates, impedimur ea re, quod saepissime nobis occurrit et Apollodori Geloi et Carystii mentio. Si enim fuisset unus tantum-

ἐπιχειμάζεις σαυτόν, κολλυβιστής, μετριάζειν, μεσοπορεῖν; praeterea Menander vituperatur a Clemente Alex. Paedag. I 4, 11, a Polluce VI 38, X 98, ab Ammonio p. 62, a Thoma Magistro p. 203, 13, in Anecdot. Bekk. 587, 15, Anecdot. Boisson. III 237 (cfr. Lex. Vindob. p. 289, 12). Qui loci Diphili vituperantur ab atticistis eorum invenis indicem apud Meinekium, Hist. crit. com. Graec. pp. 447/8, Philippidis p. 474, Posidippi p. 484.

[1]) Cfr. Szanto, Das griechische Bürgerrecht p. 64 sqq.

modo Apollodorus, qui esset natus Gelae, civis factus Atticus, propter gloriam etiam a Carystiis civitate honoris causa donatus — nam eum Carysti natum, Geloorum civitate honoris causa donatum esse nemo credet — Carystius appellatus esset a Carystiis ipsis tantummodo, non a scriptoribus Alexandrinis aut Atheniensibus, quorum nostra testimonia fere omnia aut sunt aut ad quos redeunt. Praeterea Meinekii coniectura *ἐν τῇ Ἐνναίᾳ* plane est dubia atque incerta. Habemus, ut rem paucis exponam, apud Pollucem X 152 haec: *εἰ δὲ καὶ τῷ μαρσιπίῳ τις χρῆσθαι βούλοιτο, βοηθήσει αὐτῷ Ἀπολλόδωρος ὁ Καρύστιος εἰπὼν ἐν τῇ Ἐννέα* (sic ed. Bekk.)· *Μαρσίπιόν τι μικρόν.* Fabulae titulus corruptus est; propter similitudinem eum librarius nescio quis in numerum qui est *ἐννέα* depravavit. Viri docti coniecerant *ἐν τῇ Ἐνεᾷ* et fabulam de muta muliere interpretati erant, quam coniecturam Meineke, Hist. crit. com. Graec. p. 464 respuit et proposuit *Ἐνναίαν* vel *Νεμέαν*, ita ut fabula a meretrice nomen traxerit. Sed debuit Meineke, cum respueret hanc coniecturam, reminisci Alexidis fabulae quae est *Ἀπεγλαυκωμένος*, qua caecus quidam homo repraesentabatur, deinde etiam nostris temporibus simile compositum esse drama, dico Auberi drama musicum quod est *La muette de Portici.* Ceterum quam praebet lectionem editio Bekkeriana *ἐν τῇ Ἐννέα* ea duobus tantummodo codicibus tradita est B et C, cum codices L, F, S *ἐν τῇ Ἐνέα* praebeant,[1]) qua re coniectura *ἐν τῇ Ἐνεᾷ* confirmatur. Nam iota subscriptum quod vocatur saepissime in codicibus omitti notum est, neque quidquam est accentibus tribuendum quos praebent codices.

Haec de patriis; ad aetates transeamus. Censet Kaibel neque ex Suidae s. v. *Ἀπολλόδωρος Γελῷος* verbis

[1]) Id quod Ericus Bethe per litteras liberaliter mecum communicavit.

de Geloi neque ex Athenaei l. XIV 664a de Carystii aetate quidquam concludi posse. Verba enim Suidae *σύγχρονος Μενάνδρου* nihil aliud significare nisi novae comoediae poetam, contra Athenaei locum de simili stilo potius interpretandum esse quam de eadem aetate. Tractemus prius locum Suidae. Ut confirmet sententiam suam, Kaibel affert exempla nonnulla, Diphilum, Lynceum, Posidippum. Ut exordiar ab ultimo, de Posidippo dicit nobis tradi eum certo spatio post mortem Menandri primam fabulam docuisse. Quod verum est. Legimus apud Suidam in vita Posidippi: *Ποσείδιππος· Κασσανδρεύς, υἱὸς Κυνίσκου, τρίτῳ ἔτει μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Μένανδρον διδάξας κτλ.*, sed quid, quaero, confert hoc testimonium ad quaestionem diiudicandam? Num hoc testimonio demonstrari potest verba *σύγχρονος Μενάνδρου* nihil aliud significare nisi novae comoediae poetam? Lyncei est apud Suidam haec vita: *Λυγκεύς, Σάμιος, γραμματικός, Θεοφράστου γνώριμος, ἀδελφὸς Δούριδος τοῦ ἱστοριογράφου, τοῦ καὶ τυραννήσαντος Σάμου. σύγχρονος δὲ γέγονεν ὁ Λυγκεὺς Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ, καὶ ἀντεπεδείξατο κωμῳδίας, καὶ ἐνίκησε*, qua ex vita satis superque apparet re vera fuisse Lynceum Menandri aequalem, praecipue inde, quod contendit cum eo in scena et vicit eum. Concedendum est Lynceum superstitem fuisse Menandri, nam commemoratur ab Athenaeo l. XIV p. 652c epistula eius ad Posidippum comicum scripta, quem modo vidimus tertio anno post Menandri mortem primam docuisse fabulam. Superstes fuit, sed nonne etiam homo alterius superstes aequalis eius appellari potest, praecipue si cum eo in scena contendit? Restat Diphilus, de quo habemus apud Anonymum *περὶ κωμῳδίας* haec: *Δίφιλος Σινωπεὺς κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐδίδαξε Μενάνδρῳ κτλ.* Etiam his verbis, quamvis sint dilucida, nihil aliud censet Kaibel significari nisi Diphilum fuisse novae comoediae poetam, quamquam re vera

eisdem atque Menandrum temporibus eum fuisse apparet et ex fragmentis eius et ex catalogo comicorum CIA II 977*d*–*h*, qui est compositus secundum temporum ordinem, quibus quisque poetarum primum vicit et in quo Diphilus tertius est a Menandro. Debuit Kaibel exempla afferre poetarum, qui quamquam re vera non fuerunt aequales Menandri, tamen aequales appellantur nullam aliam ob causam, nisi quia novae fuerunt comoediae poetae. Est igitur illud *σύγχρονος Μενάνδρου* quod habemus apud Suidam re vera interpretandum de eadem Menandri et Apollodori Geloi aetate, quamquam nobis cavendum est, ne plus concludamus ex voce, cuius vim incertam esse supra vidimus in Lyncei vita. Accuratius Apollodori Geloi aetatem infra definiemus.

Nunc de Carystii videamus aetate, quam ex Athenaei loco l. XIV 664a definiri posse negat Kaibel. Scribit Athenaeus l. l. de Machone comico haec: *Μάχων δ' ὁ Σικυώνιος τῶν μὲν κατὰ Ἀπολλόδωρον τὸν Καρύστιον κωμῳδιοποιῶν εἷς ἐστι καὶ αὐτός, οὐκ ἐδίδαξε δ' Ἀθήνησι τὰς κωμῳδίας τὰς ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.* Agitur praecipue de verbis quae sunt *τῶν μὲν κατὰ Ἀπολλόδωρον τὸν Καρύστιον κωμῳδιοποιῶν εἷς ἐστι καὶ αὐτός*, quaeritur, quomodo illud *κατὰ* sit explicandum. Kaibel intellegi vult similem stilum: Macho Sicyonius unus est ipse quoque ex eis comicis poetis, qui secundum Apollodorum Carystium fabulas composuerunt, qui eius stilum et artem imitati sunt. Ego, ne sic interpretemur, credo nos impediri verbis quae insequuntur *οὐκ ἐδίδαξε δ' Ἀθήνησι τὰς κωμῳδίας τὰς ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ*, quibus in verbis inest mentio loci quo docuit fabulas Macho, quae non bene opponi mihi videtur mentioni stili, contra optime opponi mentioni temporum quibus fuit, quamquam etiam de similitudine *κατὰ* cum accusativo coniunctum interpretari nobis licet. Totum igitur locum sic reddo: Macho Sicyonius ex eis comicis poetis qui fuerunt

temporibus Apollodori Carystii unus est ipse quoque, sed fabulas docuit non (ut ille) Athenis, sed Alexandreae, vel brevius: Macho vixit eisdem temporibus atque Apollodorus Carystius, sed fabulas docuit non eodem loco. Locum et tempus sic saepissime opponi ab omnium gentium scriptoribus notum est. Apollodorus igitur Carystius aequalis fuit re vera Machonis, cuius si nobis contigerit ut aetatem definiamus, habebimus etiam Apollodori Carystii aetatem.

Macho quando fuerit nobis non traditum est,[1]) scimus tantummodo fuisse eum Aristophanis Byzantii grammatici magistrum ex duobus Athenaei locis. L. XIV 664 a, de quo loco modo egi, de Machone disserens pergit Athenaeus: *ἦν δ' ἀγαθὸς ποιητὴς εἴ τις ἄλλος μετὰ τοὺς ἑπτά.*[2]) *διόπερ ὁ γραμματικὸς Ἀριστοφάνης ἐσπούδασε συσχολάσαι αὐτῷ νέος ὤν.*[3]) Alterum locum habemus l. VI 241 e, f: *μνημονεύει δ' αὐτοῦ* (scil. *τοῦ Κορύδου*) *καὶ Μάχων ὁ κωμῳδιοποιὸς ὁ Κορίνθιος ἢ Σικυώνιος γενόμενος, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ τῇ ἐμῇ καταβιοὺς καὶ διδάσκαλος γενόμενος τῶν κατὰ κωμῳδίαν μερῶν Ἀριστοφάνους τοῦ γραμματικοῦ,* quibus ex locis videmus Aristophanem fuisse adulescentem i. e. viginti fere annos natum, cum Machonem audiret,[4]) praeterea clarum iam fuisse Machonem, nam fuit eius gloria

[1]) Nam unde Susemihl, Litt.-Gesch. d. Alex.-Zeit I 265 sumpserit eum fuisse aequalem Antigoni Carystii, nescio. Videtur ei obversatus esse Apollodorus Carystius.

[2]) Pliada dicit tragicorum, quae floruit Ptolemaei Philadelphi temporibus.

[3]) Notes cum illo loco Athenaei inde *Μάχων—αὐτῷ νέος ὤν* non congruere ea quae antecedunt. Nam exspectamus propter illud *καὶ αὐτὸς* antecedere Apollodori Carystii aequales. Sine dubio totum locum nimis incuriose integrum huc transtulit Athenaeus ex fonte (Satyro, Hermippo?), in quo ante Machonem de aliis agebatur Apollodori Carystii aequalibus.

[4]) Aristophanem Byzantium operam dedisse comoediis non componendis, sed interpretandis veri simile est.

causa, cur Aristophanes eum sibi magistrum eligeret. Machonem igitur illo tempore annum quadragesimum iam transgressum fuisse veri simile est, cum ab altera parte veri simile non sit eum tum plus quam septuaginta annos natum fuisse, ita ut Aristophanem superaverit annis inde a viginti usque ad quinquaginta.

Restat nobis aetas Aristophanis definienda, de quo habemus vitam apud Suidam, cuius altera pars post Aristonymi comici vitam est delata et cum ea conglutinata. Prior pars haec est: *Ἀριστοφάνης Βυζάντιος, γραμματικός, υἱὸς Ἀπελλοῦ ἡγουμένου στρατιωτῶν, μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε· πρὸς δὲ τούτοις Διονυσίου τοῦ Ἰάμβου καὶ Εὐφρονίδα τοῦ* ⟨*Χερρονησίτου καὶ Μάχωνος τοῦ* add. Nauck⟩ *Κορινθίου ἢ Σικυωνίου. γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ' ὀλυμπιάδα.* Sequuntur Aristochiris, Aristonis, Aristonymi vitis interiectis verba haec: *βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν Φιλοπάτορος· καὶ προέστη τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης μετὰ Ἀπολλώνιον, ἔτος ἄγων ξβ'. διασκευασθεὶς δὲ ὡς βουλόμενος πρὸς Εὐμενῆ φυγεῖν, ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινά. ἠφείθη δὲ, καὶ ὑπὸ στραγγουρίας τελευτᾷ ἔτη βεβιωκὼς οζ'. συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά.* Qui librariorum errorem detexit Meineke, Quaest. scen. II p. 40 sq.[1]) duas credidit olim fuisse apud Suidam de eodem Aristophane grammatico vitas, quarum alterius principium periisset, et habuit assentientem Bernhardium in adn. ad hanc Suidae vitam. Ego quamquam concedo et supra demonstravi saepissime duas inveniri de eodem homine vitas apud Suidam, tamen malo h. l. Rankium sequi, qui monet in Vita Aristophanis p. CVI si statueremus duas Aristophanis grammatici vitas fuisse apud Suidam, alteram turbaturam esse litterarum ordinem, quem soleat Suidas accurate servare,

[1]) Cfr. etiam Hist. crit. com. Graec. p. 197.

qua de causa sit statuendum, quae verba alteram esse censeat vitam Meineke, ea esse prioris vitae partem alteram in eum locum quo nunc sit delatam. Quam Rankii sententiam etiam secuti sunt, quamquam eam Meinekio tribuerunt, de Rankio tacuerunt, Busch, De bibliothecariis Alexandrinis qui feruntur primis sex p. 45 sq., Susemihl l. l. I p. 428 adn. 1, Cohn in Paulii et Wissowae lexico s. v. Aristophanes. Coniungenda sunt igitur ea quae de Aristophane grammatico legimus apud Suidam in unam vitam hanc: *Ἀριστοφάνης . . . . γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν Φιλοπάτορος . . . . συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά.* Comperimus ex hac vita etiam nonnulla quae ad aetatem Aristophanis definiendam pertinent, egisse eum, cum bibliothecae Alexandrinae praeponeretur, annum sexagesimum alterum, mortuum esse octoginta septem annos natum. Tum habemus in iunctura particularum vitae verba *γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν Φιλοπάτορος*, quibus in verbis duae res offendunt, primum enim ol. 144 neque regnavit Ptolemaeus Philadelphus neque Philopator, sed Epiphanes, deinde successit (nam id significant verba *μετ᾽ αὐτόν*) Philadelpho non Philopator, sed Euergetes. Quibus difficultatibus ut mederentur, viri docti varias fecerunt coniecturas, sed omnes sunt graviores, quam ut verae esse possint. Bernhardy l. l. proposuit haec: *γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα, διέτεινε δὲ μέχρι Πτολεμαίου τοῦ Φιλοπάτορος καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν βασιλεύοντος*, Seemann, De primis sex bibliothecae Alexandrinae custodibus p. 16: *γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλοπάτορος καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν τοῦ Ἐπιφανοῦς*, Busch l. l. p. 49 haec: *γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Ἐπιφανοῦς, καὶ ἕως τοῦ μετ᾽ αὐτὸν τοῦ Φιλομήτορος.* Quarum coniecturarum id est

commune, quod eis tollitur Ptolemaei Philadelphi mentio, quae mihi erranti rectam, ut opinor, viam monstravit. Censeo enim Suidam vel potius Hesychium sic scripsisse ut traditum est *γέγονε δὲ κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τοῦ μετ᾽ αὐτὸν Φιλοπάτορος*, menda autem quae insunt in verbis sic explico, ut dicam Hesychium coniunxisse tres fontes, quorum in primo invenisset haec: *γέγονε κατὰ τὴν ρμδ´ ὀλυμπιάδα*, in altero fere haec: *γέγονε κατὰ Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον*, in tertio fere haec: *γέγονε κατὰ Πτολεμαῖον τὸν Φιλοπάτορα*, neque autem habuisse illud *γέγονε* eandem vim in his tribus fontibus, in primo et tertio significasse *ἀκμήν*, in altero tempus quo natus esset Aristophanes, sed Hesychium, eandem vim habere *γέγονε* cum crederet, omnes tres coniunxisse et illud *μετ᾽ αὐτὸν*, cum non recte meminisset de Ptolemaeis, de suo addidisse. Aeque neglegenter coniunxit duos fontes in Anacreontis vita: *Ἀνακρέων· γέγονε κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμιον τύραννον ὀλυμπιάδι νβ´.* Numerus *νβ´* minime mutandus est in *ξβ´*, sed statuendum est ol. *νβ´* significare Anacreontis ol. natalem quam Hesychius, cum *γέγονε* non recte intellegeret, cum illo altero fonte coniunxerit qui *ἀκμὴν* significaret *γέγονε κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμιον τύραννον.*[1]) Eundem quoque habemus errorem in Simonidis lyrici vita,[2]) quamquam hic error iam redit ad Hesychii fontem, nam invenimus eum etiam apud Euseb. vers. Hier. ad a. Abr. 1463 (a. Chr. n. 554), qui h. l. sine dubio ad eundem fontem redit atque Hesychius.[3]) Statuendum est igitur natum esse Aristophanem temporibus Ptolemaei Philadelphi, qui regnavit aa. 285—247.

[1]) Cfr. Rohde, *Γέγονε* in den Biographica des Suidas, R. M. XXXIII p. 190.

[2]) S. *Σιμωνίδης, Λεωπρέπους· . . . . γέγονε δ᾽ ἐπὶ τῆς νς´ ὀλυμπιάδος· οἱ δ᾽ ἐπὶ τῆς ξθ´ γεγράφασι.*

[3]) Cfr. Rohde l. l. pp. 187/8.

Accuratius eius aetas definiri potest ea re, quod secutus est Eratosthenem in bibliothecae Alexandrinae bibliothecarii munere, quamquam Suidas memoriae prodit successisse eum non Eratostheni, sed Apollonio Rhodio et in hac Aristophanis vita et in vita Apollonii eademque tradit Anonymi vita Apollonii posterior in Westermanni Biogr. p. 51. Quod propter temporum rationes stare non posse docuerunt Busch l. l. p. 30 sqq. et Susemihl l. l. I p. 385 adn. 56. Addam ad ea quae protulerunt illi viri docti Aristophanem successisse Eratostheni, non Apollonio firmari etiam vitae Eratosthenis Suidae verbis his: (Ἐρατοσθένης ...) *μαθητὴν ἐπίσημον καταλιπὼν Ἀριστοφάνην, οὗ πάλιν Ἀρίσταρχος μαθητής*. Successit igitur Aristophanes Eratostheni. Qui quia mortuus est inter aa. 195 et 192 [1]) et usque ad mortem quam sibi

[1]) Nam natus est ol. 126 i. e. inter aa. 276 et 273 teste Suida in vita Eratosthenis, vixit annos octoginta unum teste Censorino, De d. n. 15, quem sequor duce Bernhardio (in Erschii et Gruberi lexico s. v. Eratosthenes I 36 p. 222), cum Suidas l. l. annos octoginta, Pseudolucianus, Macrob. 27 octoginta duos eum vixisse tradant. Cur Susemihl l. l. I 409/10 praecipue de primo ol. 126 anno cogitet, nescio. — Adversatur Suidae de Eratosthenis olympiade natali loco Strabo I 15 qui dicit Eratosthenem audivisse Zenonem Citiensem (mortuum a. 264; cfr. Comparetti, Papiro Ercolanese p. 58, Gomperz, R. M. XXXIV 154), quod testimonium cum Suidae coniungunt Busch l. l. p. 25 nulla cum veri specie et Unger, S.-B. d. Münch. Akad. hist.-phil. Kl. 1887 I p. 102 sqq., qui nobis persuadere studet (quod minime credimus) Zenonem a. 256/5 demum mortuum esse. Sed Strabonis testimonium omninc neglegendum est, unius Suidae fides habenda est, quod Suidas tradit praeterea Eratosthenem temporibus Ptolemaei quinti i. e. Epiphanis, qui regnavit aa. 205—181, mortuum esse. Unde apparet, quia octoginta unum annos natus de vita decessit, natum esse eum inter aa. 286 et 262, ad quod tempus optime quadrat alterum Suidae testimonium quo dicit eum natum esse ol. 126 i. e. inter aa. 276 et 273. Strabo igitur erravit. Fortasse deceptus est dialogo Eratosthenis, quo hic se finxerat cum Zenone disputantem. Dialogos Eratosthenem composuisse discimus ex Suidae vita; cfr. etiam Jacoby, Apollodors Chronik p. 364 adn. 7. — Verbo

conscivit bibliothecae praefuit,[1]) inter hos annos Aristophanes ei successit, quia autem ex vita Suidae scimus Aristophanem, cum munus iniret, egisse annum aetatis sexagesimum alterum, mortuum esse octoginta septem annos natum, natus est inter aa. 257 et 254, mortuus inter aa. 180 et 177. Macho igitur magister eius, quia fuit maior natu annis inde a viginti usque ad quinquaginta Aristophane, natus est inter aa. 307 et 274. Apollodorus Carystius denique, quia fuit Machonis aequalis, ipse quoque natus est inter aa. 307 et 274. Accuratius Apollodori Carystii aetatem infra definiemus.

Restat unum argumentum quod obloquitur Kaibelii sententiae. Habemus duos Apollodoros in catalogis poetarum et actorum qui Dionysiis magnis et Lenaeis vicerunt, alterum in CIA II 977 frgo *g*, alterum in fragmento novo, quod invenit Adolfus Wilhelm et quod Kaibel non novit, cum conscriberet commentationem de Apollodoris comicis. CIA l. l.[2]) habemus fragmenta triginta duo epistylii marmoris Pentelici, quae reperta sunt fere omnia a parte meridionali arcis prope theatrum Dionysi. In parte aversa epistylii scripta erant catalogi poetarum tragicorum et comicorum et actorum tragicorum et comicorum cum numeris victoriarum Dio-

tangam errorem Koepkii, qui De Arati Solensis aetate quaestionum chronologicarum speciminis primi p. 15 scribit se legisse, nisi memoria fallat, apud Vitruvium atque in libros memoriae causa rettulisse Eratosthenem usque ad annum duodecimum Ptolemaei Epiphanis, quem ad regnum pervenisse dicit a. 204, aetatem produxisse, unde concludit mortuum esse eum a. 193, natum a. 275. Ego cum in toto Vitruvio non eum quem dicit repperenim locum, mibi persuasi memoriam illum virum doctum fefellisse, neque credo apud alium quendam scriptorem hunc locum inveniri. Fortasse vir doctus quod ratiocinando invenerat id credidit se invenisse apud scriptorem quendam.

[1]) Cfr. Bernhardy in Erschii et Gruberi lexico I 36 pp. 226/7.

[2]) Vide etiam additamenta in vol. IV 2 p. 220.

nysiis magnis et Lenaeis partarum. Enumerati erant poetae et actores secundum temporum ordinem, quibus quisque primum vicit.[1]) In uno fragmento (*g*), quod pertinet ad catalogum poetarum comicorum qui Lenaeis vicerunt,[2]) inter alios Apollodori nomen legimus, sed patria non addita est, qua ex re et quia alter Apollodorus in illis catalogis non exstabat, conclusit Kaibel unum tantummodo fuisse Apollodorum comicum, cum neglexit primum id, quod nulla omnino patria in his catalogis invenitur, deinde quod catalogus *d-h* non multo post Apollodori nomen fractus est, ita ut alterius mentio si exstabat fieri potuerit ut periret. Nunc invenit Adolfus Wilhelm in radicibus arcis horum catalogorum novum fragmentum,[3]) in cuius prima columna, quam liberaliter mihi descripsit, inter alios comicos poetas nobis occurrit alter Apollodorus. Servavit autem fragmentum a partibus sinistra et superiore marginem, a ceteris duabus fractum est. Constat tribus columnis, quarum prima est haec additis Wilhelmi supplementis:

Πο]σείδιππος I |
Σατυρίων I
Α]πολλόδωρος II
Φιλήμων ΓI
Δαμ]όξενος I
Φοινικ]ίδης II

[1]) Cfr. Köhler, Documente zur Geschichte des Athenischen Theaters IV, Athen. Mitt. III 256/7.

[2]) Fragmenta *d-h* ad Dionysia magna pertinere censuit Bergk, Verzeichnis der Siege dramatischer Dichter, R. M. XXXIV 311, quem secuti sunt Köhler in adn. ad frga in CIA l. l. et ceteri qui rem tetigerunt praeter unum Cappsium, qui fragmenta ad Lenaea referenda esse demonstravit, Catalogues of victors at the Dionysia and Lenaea CIA II 977, American Journal of Philology XX 390 sqq.

[3]) Cfr. Jahreshefte des österr. archäol. Inst. I Beiblatt p. 46 sq.

Altera columna continet teste Wilhelmo prioris partis saeculi secundi poetas comicos, tertiae columnae exstant reliquiae litterae tres. Ductus litterarum mutatur inde a versu quinto columnae primae, inde a quo versu posterioris incipiunt aetatis litterae.[1]) Fragmentum ad poetas comicos pertinere facile tibi persuadebis ex Posidippi, Apollodori, comicorum in col. II mentione, sed quaeritur, utrum pertineat ut alterum fragmentum in quo Apollodorus commemoratur ad catalogum Lenaeum — tum res diiudicata esset, an ad Dionysium — tum fieri posset, ut Apollodori nomen ad eundem pertineret poetam atque illud quod habemus in frgo *g*. Nam saepius in his catalogis unus poeta bis laudatur, semel in catalogo Dionysio, semel in Lenaeo.[2]) Ad Lenaeum pertinere non potest, quia, ut iam dixi, servavit a parte superiore marginem. Si enim esset catalogi Lenaei, statuendum esset id olim aut quintam aut sextam columnam coepisse catalogi, cuius quattuor columnae nobis servatae sunt CIA l. l. *d-h*. Sed temporum rationibus impedimur, ne aut quintae aut sextae principio tribuamus. Nam si quintae tribueremus, inter Menandrum (col. IV 9) et Posidippum (col. V 1) octo tantummodo interessent nomina, si sextae, viginti quinque, cum rationibus aliis postulen-

[1]) Etiam ceterorum fragmentorum litterae non eodem modo sunt exaratae; sunt enim catalogi semel vel saepius posterioribus temporibus suppleti; cfr. Köhler l. l. p. 242.

[2]) Sic bis laudantur Cratinus (prior) frg. *d–h* I 6 et frg. *i* 7 (*[Κρατῖ]νος* **Γ** *I*), Emmenides frg. *u v* 14 et *w x* 5, Philonides *u v* 16 et *f′ w x* 6 (vid. addit. in CIA vol. IV), Philocles *u v* 12 (*Φιλοκ[λῆς-]*) et *f′ w x* 7 (*Φιλοκ[λ]η[ς-]*), Polycles *u v* 1 (*Πολυ[κλῆς-]*) et *w x* 6 (*Πολυκ[λῆ]ς I*). Contra ad duos pertinent Aristomenes nomina *d–h* I 5 et *a′* 7, ad duos Dionysios nomina *m n* II 13 et *a″* 8, ad duos Theodoros nomina *q r* 4 et *o* 2, ad duos Callistratos nomina *l* 3 et *w x* 4, ad duos Aminias nomina *d–h* IV 16 et *o* 4, quod apparet inde, quod fragmenta altera ad altera pertinent tempora.

tur inter Menandrum et Posidippum nomina fere quattuordecim. Intersunt enim inter Menandri primam fabulam (a. 322)[1]) et Posidippi (a. 290)[2]) anni triginta duo et sunt unicuique catalogi poetae tribuendi anni fere duo et tertii quinta pars, quod apparet inde, quod inter Eupolidem (col. I 11) et Menandrum (col. IV 11) intersunt nomina duodequinquaginta, anni autem centum octo, nam Eupolis teste Anonymo *περὶ κωμῳδίας* 10 primam fabulam docuit archonte Apollodoro i. e. a. 430, Menander, ut iam dixi, a. 322. Concedo me hac tota in ratiocinatione neglexisse, quod nobis non traditum sit, quando Eupolis, Menander, Posidippus primum Lenaeis, ad quae pertinet hic catalogus, vicerint, sed de Eupolide tantummodo eum Apollodoro archonte, de Menandro eum Philocle archonte, de Posidippo eum tertio anno post Menandri mortem primas fabulas docuisse, de Menandro praeterea eum archonte Democlide, incertum est, utrum Dionysiis magnis an Lenaeis, primum vicisse, sed hac re ratioci-

[1]) Secundum Anonymum *περὶ κωμῳδίας* 17 (K.) Menander archonte Philocle (sic recte Clinton, Fast. Hell. [2]II p. 181 pro Diocle) i. e. a. 322 primam fabulam docuit. Eusebius vers. Hier. et vers. Armen. (cfr. Sync. 522, 12) tradit eum a. Abr. 1695 i. e. a. Chr. n. 321 primam fabulam *Ὀργὴν* docuisse eaque vicisse, quod testimonium neglegendum est, nam ex Marm. Par. novo fragmento (apud Krispium, Ein neues Bruchstück der parischen Marmorchronik, Athen. Mitt. XXII 187) apparet eum archonte Democlide demum i. e. a. 316 primum vicisse, quod marmoris testimonium firmatur Euseb. vers. Armen. ad a. Abr. 1701 (a. Chr. n. 315) verbis: Menander et Speusippus philosophi agnoscebantur. Quomodo Eusebii error ortus sit, explicat Capps, Chronological studies in the Greek tragic and comic poets, American Journal of Philology XXI 61.

[2]) Nam teste Suida in vita Posidippi tertio anno post Menandri mortem primam fabulam docuit, Menander autem mortuus est archonte Philippo (cfr. Inscr. Gr. Sic. et It. 1184) i. e. a. 293. De Philippi archontis anno cfr. Ferguson, The Athenian Archons of the third and second centuries before Christ p. 1 sqq.

natio quam institui non infringitur, quia veri simile est eodem fere spatio primas abesse horum poetarum victorias, quas habemus in catalogis, et primas fabulas, de quibus rationem inii. Est igitur fragmentum Wilhelmianum referendum ad Dionysia magna[1]), statuendum est non eiusdem fuisse catalogi fragmenta illa, in quibus Apollodori mentio fit. Quae cum ita sint, quaestio oritur, utrum haec duo nomina ad unum tantummodo pertineant poetam, qui et in catalogo Dionysio et in Lenaeo fuerit commemoratus, an ad duos. Dicat quis illa nomina ad unum pertinere, praesertim cum iuxta utrumque legamus Philemonis nomen et litterae quae sunt in versu ultimo superstites . . . . . . *ίδης* suppleri possint *Φιλιππίδης*, Philippides autem commemoretur ipse quoque in altero fragmento post Philemonem et Apollodorum. Sed fragmentum Wilhelmianum ad posteriora tempora pertinere quam alterum et Apollodorum et Philemonem in eo commemoratos alios esse atque illos in frgo *g* commemoratos, praeterea non recte *Φιλιππίδης* ultimi versus litteras superstites suppleri apparet primum inde, quod in fragmento Wilhelmiano post Apollodorum et Philemonem novus incipit litterarum ductus, cum poetarum qui in catalogo Lenaeo eos sequuntur, inter quos est Philippides, nomina eodem modo

[1]) Tum frg. *c′*, in quo ipso quoque Posidippi mentio fit, ad catalogum Lenaeum pertinet, nam quod Köhler l. l. p. 250 Posidippum in frgo *c′* commemoratum alium et inferioris aetatis esse poetam atque clarum Posidippum dicit, id falsum esse inde apparet, quod ductus litterarum etiam in hoc fragmento eodem modo atque in fragmento Wilhelmiano mutatur, qua de causa fragmenta pertinent ad eadem tempora, ad diversos tantummodo catalogos, victorum Dionysiorum et Lenaeorum. Ponendum est autem fragmentum *c′* secundum easdem illas rationes quas supra institui in media parte (verss. fere 8—10) quintae columnae (a dextera parte quattuor columnarum quae servatae sunt CIA l. l. *d—h*).

sint exarata, deinde ex Posidippi mentione, qui a. 290 primam fabulam docuit, neque enim credat quis hunc Posidippum alium esse atque clarum Posidippum.

Duos igitur habemus his in titulis diversos Apollodoros,[1]) alterum qui paulo post Posidippum Dionysiis magnis primum vicit, alterum qui paulo post Menandrum Lenaeis, et quivis videt hunc esse Geloum, *σύγχρονον Μενάνδρου* (Suid.), contra illum Carystium, Machonis aequalem (Athen.); nam Macho fuit etiam Posidippi aequalis. Sed his titulis accuratius utriusque Apollodori aetas definiri potest. Gelous in catalogo Lenaeo poetarum comicorum secundus est a Menandro, qui quia primam fabulam docuit a. 322, secundum rationes illas, quas supra institui, Apollodorus Gelous primam fabulam docuit a. fere 318, natus est a. fere 340. Carystius autem quia in catalogo Dionysio secundus est a Posidippo, qui a. 290 primam fabulam docuit, a. fere 285 primam fabulam docuit, natus est viginti fere aa. ante i. e. a. fere 305.

Addam pauca de Carystii victoriis. Adscriptus est in fragmento Wilhelmiano Apollodori nomini II numerus. Vicit igitur Carystius Dionysiis magnis bis, quia autem scimus ex Suidae vita s. v. *Ἀπολλόδωρος Ἀθηναῖος*, quae

[1]) Et duos diversos Philemones, quorum ille in frgo *g* commemoratus Menandri est aequalis, ille in fragmento Wilhelmiano eius filius, de quo cfr. Suidae vita s. *Φιλήμων ὁ νεώτερος*. Ceterum praeter hos duos Philemones comicos tertius fuit, qui CIA II 975 *b* v. 10 (11) cum Milesia fabula commemoratur et quem ca. a. 180 fuisse concludas ex Hermogenis et Timesianactis archontum nominibus vv. 13/4 (14/5); cfr. Köhler ad h. l. Hunc tertium Philemonem etiam CIA II 977 *l* 2 intellegendum esse inde concludo, quod hoc in fragmento Philemonis nomen iuxta Callistrati positum est, in frgo CIA II 975 *b* Callistrati cuiusdam nomen non multum a Philemonis tertii abest. Cum eodem sine dubio Callistrato in ambobus fragmentis nobis res est, quamquam in CIA II 977 frgo *l* poeta est, altero in fragmento actor. Sed hoc non eget explicatione.

ad Carystium pertinet, eum in universum quinquies vicisse, statuendum est eum Lenaeis ter vicisse.

Fuerunt igitur, ut paucis complectar quae adhuc disputatione mea effeci, duo Apollodori comici, alter Gelous Menandri aequalis, qui anno fere 318 primam fabulam docuit, alter Posidippi et Machonis aequalis, qui primam fabulam docuit anno fere 285, vicit quinquies, bis Dionysiis magnis, ter Lenaeis.

Theses.

I.

Apud Suidam s. v. *Θεόπομπος*, *Θεοδέκτου ἢ Θεοδώρου* post verba *δράματα δὲ αὐτοῦ εἰσι* exciderunt tituli fabularum.

II.

Diphilus scripsit non *Ἀπολιποῦσαν* fabulam, sed *Ἀπολείπουσαν*.

III.

Primac partes catalogorum CIA II 977 ca. annum 280 a. Chr. n. incisae sunt.

Vita auctoris.

Natus sum Ernestus Fridericus Krause die 19 m. III a. 1880 Ocollone in vico prope Bidgostiam sito, qui nunc vocatur Schleusenau, patre Eugenio, matre Anna e gente Lange. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus in gymnasio Bidgostiensi vere a. 1898 universitatem litterarum adii Berolinensem, ut me darem praecipue studio Graecorum et Romanorum. Docuerunt me viri docti hi: Delbrück, Dessoir, Diels, Geldner, Harnack, Heinze, Helm, Hirschfeld, Kekule de Stradonitz, Kirchhoff, Köhler, Lasson, Münch, Paulsen, Scheffer-Boichorst, Schmekel, Ericus Schmidt, Ioannes Schmidt, Stumpf, Thomas, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Winter. Sodalis fui seminarii philologici cui praesunt Vahlen et Kirchhoff semestria quinque, quorum duo senior, proseminarii philologici cui praesunt Wilamowitz et Diels semestria quattuor, quorum unum senior; seminarii medii aevi historiae dicati quod florebat sub Schefferi auspiciis sodalis fui duo semestria, seminarii psychologici cui praeest Stumpf unum. Ad exercitationes benigne me admiserunt philologicas Thomas, epigraphicas Hirschfeld et Köhler, sanscriticas Geldner. Quibus viris doctis omnibus gratias ago, praecipue autem Wilamowitzio et Vahleno.

